

substantia cum omnibus, qui tibi subiecti sunt. uos tamen 35
 estote animo cum deo; non tam dominari te mundo, quam
 dominare¹⁾ Christum gloriare. Memento, quia hab eo factus
 es, ipse tibi dedit legem, ut scias dare legem. Ipse tibi dedit
 regimen quatinus²⁾ recte regendo que recta sunt domino
 representes. Preesse te³⁾ humanarum rerum ordini⁴⁾ uoluit, 40
 non diuinis cultibus preiudicare concessit, cum ipse pastores
 ecclesie ne ab aliis ledantur apercius prohibens dicat: Nolite
 tangere Christos meos et in prophetas meos nolite malignari⁵⁾.
 Et alibi⁶⁾: Nam etsi non merito pastores, officio tamen pastores
 et prophete in populis vocamur. Qui dum⁷⁾ delinquendo incaute 45
 neclegimus districti iudicis sententiam expectamus; pro quo
 non externis⁸⁾, sed suis propriis iudiciis quicquid a nobis male
 gestum fuerit reseruatur. Unde non mediocriter, sicut propheta
 dicit, uentrem meum doleo et sensus mei turbati sunt⁹⁾, cum
 illa imminere sancte Ravennati ecclesie, cui deo auctore pre- 50
 sideo, cernimus, tantasque calamitates a Christianis exhiberi
 uidemus, que a seuissimis paganis si viderentur inlata flendum
 et gemendum¹⁰⁾ omnibus debuerat uideri Christianis. O quam
 magnum nefas! O quam inauditum scelus! O quam crudele
 obsequium ecclesias Christi a persecutoribus Christianis pati! 55
 A qua renati in Christo sunt et primi parentis culpa liberati;
 a qua genus regium et sacerdotale uocati sunt; a qua spiritum
 adepti sunt, per quam fedus perpetue glorie et sine fine man-
 sure pepigerunt. Hec autem lacrimarum calamo glorie uestrae
 describo, ut miserans anc sanctam Rauennatem ecclesiam, non 60
 paciariis eam tantis afflictionibus incuti¹¹⁾, qui ad oc regimen
 adeptus es, ut ecclesiarum status tuo regimine subleuetur et
 persequentium seuum furorem tue ulcionis gladio reseces et
 repellas. Oderunt enim semper legitimi principes tyrannos,
 et regum gubernaculis ecclesiastici ordines¹²⁾ salui perman- 65
 serunt, et sacrum imperium ecclesie precibus tutum ab ostium
 furore consistere debet: sic sese mutuis uicibus conseruando
 humanis diuinisque subsidiis uicissim debent adtolli. Nam
 imperium a sacerdotio parum distat, et aliquando imperii prin-
 cipem sacerdotem uocari, non est dubium, quia ex uno cornu 70
 olei sacerdotes et reges sanctificari manifestum¹³⁾ est. Et quid-

1) So die Hds. 2) 'quantinus' Hds. 3) Aus 'tibi' von der ersten Hand verbessert. 4) Vor 'ordini' ist durch einen Strich 'statibus' getilgt. 5) Ps. 104, 15. 6) 'Et alibi' von gleichzeitiger Hand über 'Nam' gesetzt. 7) Hinter 'dum' ist 'non' durch einen Strich getilgt, wie es scheint, von der ersten Hand. 8) Dahinter ist 'iudiciis' von der ersten Hand durch einen Strich getilgt. 9) Jerem. 4, 19. 10) Die Buchstaben 'gemend' rühren von einer Verbesserung der ersten Hand, wie es scheint, her; die erste Schrift ist nicht mehr lesbar. 11) Cipolla: 'incudi'. Siehe meine Bemerkung oben S. 511, Nr. 11. L. 12) 'ordinis' Hds. 13) Auf Rasur geschrieben.